

Item secundo, quod declarabitur solus papa in ecclesia Dei et cardinales recipient eum cum magna pace et cessabit scisma.

Item tercio, quod temporalia ecclesie dabuntur uni regi, per cuius operationes fiet predicta unio, et rex ipse diu durabit.

Item quarto, quod deponuntur tyranni in terris ecclesie, que terre sub nomine regis per omnia gubernentur.

Item quinto, quod universitas christianorum credet in eligendum verum sponsum ecclesie papam.

Item sexto, quod non erit amplius scisma usque ad adventum antichristi.

Item septimo et ultimo, quod fiet passagium ad sepulchrum Christi per dominum regem, qui omnes gentes armorum secum ducet.

Determinata Bononie per dominum Bartholomeum Bandis'.

Von derselben Hand scheint folgender Eintrag fol. 126: 'In memoria eterna erit inclita nacio Germanie. Ab audicione mala non timebit.

Paratum cor eius sperare in Domino. Confirmatum est cor eius: non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Iusticia huius inclite nacionis manet in seculum seculi.

Collegium cardinalium videbit et irascetur. Nacio Gallicana dentibus suis fremet et tabescet.

Desiderium Ytalicorum peribit.

Cornu¹ eius, id est huius patientis nacionis, exaltabitur in gloria'.

Zum Schlusse theilen wir die folgenden fol. 146 v. stehenden Verse mit:

Nota versus de statu cleri.

Clerice care, notes cupiens dittare nepotes,

Si tu procures cognatos, clerice, plures,

Clerice, dic, quare dictari² queris amare,

Divicie care dant causam mortis amare,

Debet sufficere tibi, quando tu dominaris.

Si queris facere dominos, numquam satiaris,

Ipsis res Christi non durant, quas tribuisti³.

Ni iuvenum mores in claustris corripiantur,

Sepe molestantur ab eis fratres seniores.

Si quis defendit iuvenes⁴ nec eos reprehendit,

Hunc tandem prendit laqueus quem sepe tetendit.

Si male prelatus intrat, fit sepe gravatus,

Nec promotorum durat fortuna suorum.

Curas sanctarum qui non confert animarum

Dignis, ille⁵ parum sponsum reveretur earum.

1) Darüber von anderer Hand 'Imperator'. 2) D. i. 'ditari'.
3) 'tribuisti' Hs. 4) 'iuenes' Hs. 5) 'illi' Hs.